EXERCITATIO EPISTOLICA,

DE

S. PHILOGONIO

EP. ANTIOCHENO.

Qua

VIRO PLVRIMVM REVERENDO ET DOCTISSIMO,

DN. M. IO. MICHAELI SCHVMANNO,

ECCLESIAE AD D. MAVRITIVM PASTORI VIGILANTISSIMO ET SCHOLARCHAE GRAVISSIMO.

NATALEM

GRATVLATVR.

IO. MICHAEL HEINECCIVS, D.

VIR PLVRIMVM REVERENDE.



REdiit felix ille atque auſpicatiſſimus dies, qui vt ſæpius nobis & lætior quotannis rediret, proximo abhinc anno DEum immortalem tacita mentis venerati-one precati ſumus. Nimirum quæ eſt incredibilis Dei bonitas & clementia, illuxit denuo hodie natalis TVVS, atque ita illuxit, vt TE non modo incolumem & florentem, ſed etiam ab ipſo mortis limine reuocatum atque nobis reſtitutum intueamur. Quo diuino beneficio ornatus, quum vota ſoluere, nouaque ſignare pararem, exiſtimaremque, exſtare debere aliquod huius lætitiæ meæ gratæque memoriæ monimentum: fato neſcio quo incidi in *Chryſoſtomi* (a) orationem quandam ſacram, hoc eodem die, quo TV in lucem prodiiſti, id eſt XIII. Kalendas Ianuarii Antiochiæ habitam, quæ me tanta voluptate affecit, vt TE quoque hujus lætitiæ meæ participem vellem, nihilque hoc die à me conſiderari poſſe putarem commodius. Dicta enim eſt iſta oratio in laudem S. PHILOGONII, Epiſcopi Antiocheni, cujus tanta exſtant in Eccleſiam merita, vt *Chryſoſtomi* judicio, nulla par tanti Viri laudibus oratio poſſit reperiri. Quo factum eſt, vt vetus eccleſia ejus memoriam in faſtis conſecrarit, & hunc ipſum diem, qui *Philogonio* ac TIBI natalis eſt, feſtum ac ſacrum eſſe juſſerit (b). Quum itaque *Syracide* (c) judice, jure *laudandi ſint viri præclari, & quibus prognati ſumus majores noſtri, eo quod Dominus per hos multam gloriam ſibi peperit, idque ſua ab æuo condita magnificentia*, *Philogonius* autem tam ſit pleriſque hodie ignotus, vt multi eum non modo in Eccle-

ſiæ

(a) Chryſoſtomi *Homil. XXXI. p. 449. Tom. I. opp.* (b) *Græca æque ac Romana Eccleſia ejus memoriæ diem XX. Decembr. dedicauit teſte* Menologio Græcorum & Martyrologio Rom. *p.* 847.
(c) Syrac. *XLIV*, 1, 2.

ſiæ Patribus habitum, ſed omnino natum ignorent: facturum me operæ pretium arbitrabar, ſi divinus ille vir, natali TVO ſuoque quaſi in vitam poſtliminio rediret, aut ſi memoria ſaltem ejus renaſceretur.

Vt autem inde ordiamur, vnde ipſe *Philogonius* ſua in eccleſiam auſpicatus eſt merita: conſtat omnino inter omnes, eum Antiochiæ præfuiſſe Epiſcopum, iisque floruiſſe temporibus, quibus *Arius* peſtilentisſimam hæreſin ſuam evomere cœperat. At vero quum concilio Nicæno non *Philogonius* ſed *Euſtathius* Antiochenorum Antiſtes interfuerit: illum ſane jam tum ad meliorem vitam euolaſſe oportet. Quamobrem iis maxime ſuffragamur, qui eum anno æræ chriſtianæ CCC. XIX. Epiſcopum factum, & quinquennio poſt beata morte expiraſſe arbitrantur. (d) Antequam ei ſacra hæc prouincia demandaretur: reipublicæ dabat operam, in forenſibusque verſabatur negotiis, tanta quidem fide atque induſtria, vt & magiſtratus in vrbe Antiochena gereret. Hinc *Chryſoſtomus* (e) teſtatur, Deum *Philogonium* ἐκ μέσης τῆς ἀγορᾶς ἁρπασθέντα ἐπὶ τὸν θρόνον ἀγαγεῖν, *ex medio abreptum foro ad thronum euexiſſe.* Et paucis interjectis: καὶ τότε, inquit, ἀνθρώποις συνηγόρει κατὰ ἀνθρώπων ἐπιβουλευόντων τοὺς ἀδικουμένους τῶν ἀδικούντων ἰσχυροτέρους ποιῶν, *tum quidem hominibus patrocinabatur aduerſus homines, qui ſtruebant inſidias, eosque, qui afficiebantur iniuria, ſuperiores reddebat iis, qui iniuriam inferebant.* Quæ omnia paullo apertius eloquuti *Nicephorus Calliſti* (f) & martyrologii Romani auctor (g) *Philogonium* ex cauſſidico factum epiſcopum perhibent. Erant ſcilicet tum tempora, quum etiam viri, negotiali vitæ dediti, tantæ eſſent rerum ſacrarum ſcientia, tanta pietate, vt non minus ad epiſcopatus, quam ad alia munera ſubeunda viderentur idonei. Multa huius rei exſtant exempla. Nam vt alia nunc prætermittamus: ecquis tam eſt in hiſtoria eccleſiaſtica hoſpes, vt *Cyprianum* ex oratore, *Ambroſium* ex Præfecto Mediolanenſi, *Euſebium* Romanum

(d) *Vide* Tillemont. *Memoires pour ſervir a l' hiſtoire eccleſiaſtique Tom. VI. P. 1. p. 339. Alia omnia, nec meliora tamen prodit* Baronius *ad ann CCCXIX. num. 27. ſed a* Nicephoro *deceptus.* (e) Chryſoſtom. *l. c. p. 352.* (f) Nicephorus Calliſt. *Libro VIII. H. E. cap. 6.* (g) Martyrolog. Rom. *l. c.*

ex laico & *Nectarium* Byzantinum denique ex prætore factos epiſcopos ignoret? (h) Nec eſt tamen, quod in his exemplis triumphent quidam noſtræ ætatis fanatici, qui eo prolabuntur audaciæ, vt ipſis quoque fullonibus & ſalſamentariis docendi in eccleſia munus deferendum exiſtiment. Quod enim hodie ſuo ſibi arbitrio ſumere audent eiusmodi homines: illud antiqui iſti non niſi rite atq; ordine vocati, quin refugientes ſæpe ac inuiti ſuſcipiebant. Vt enim ad *Philogonium* reuertamur, de eo idem, quem antea laudaui, Chryſoſtomus teſtatur, *quod epiſcopatum Spiritus S. gratia obtinuerit, ab ipſoque Deo fuerit electus*, (i) atque ob hanc cauſſam eum cum Petro Apoſtolo contendit, quem Chriſtus ipſe, capto amoris eius experimento *paſcere oues ſuas* juſſerit. (k) Ac ne quis exiſtimet, ſola interna vocatione, qualem hodie iſti jactant, permotum *Philogonium* ad ſacrum munus ruere ſuſtinuiſſe: addit *Chryſoſtomus* illum ἁρπασθέντα i. e. *raptum eſſe ad thronum*, cleri ſcilicet populique ſuffragiis, penes quos tum eligendorum epiſcoporum jus erat atque arbitrium. (l) Tantum itaque abeſt, vt *Philogonius* ipſe ſe eccleſiæ doctorem obtruſerit, vt eo tempore piaculo fuerit, ſi quis miniſterio ſacro inuocatus fungeretur. Pergamus ad alia. Nam & illud de Philogonio non eſt prætereundum, quod vxorem duxit, eamque etiam epiſcopus factus non repudiauit, vt adeo & hunc ſanctisſimum virum, ipſoque pontificiorum iudicio in ſanctis habitum, his coniugii ſacerdotalis inimicis iure opponamus. Diſerte hoc docet *Chryſoſtomus*, [m] ex quo intelligimus, *Philogonium* & vxorem habuiſſe & filiam, neque iſtud matrimonium impediiſſe, quo minus ad ſummum in eccleſia Antiochena munus adſpiraret. Ceterum hac ſparta ornatus, ita omnes boni Paſtoris laudes abſoluit, vt omnibus videatur in exemplum proponendus. Tria ſunt, quæ conſentiente omnium ſuffragio theologum perficiunt, oratio, meditatio & tentatio. Ea vero ita eminuerunt in *Philogonio*, vt ſua ætate ſuperiorem habuerit neminem. Summis laudibus *Chryſoſto-*

mus

(h) Centur. Magdeb. IV. *cap.* 6. *p.* 437. (i) Chryſoſtom. *l. c. p.* 351. (k) Io. XXI, 16. (l) *Vid.* Bebelii *Antiquit. eccleſiaſt. ſeculo IV. artic.* 2. *n.* 9. *p.* 360. (m) Chryſoſtom. *l. c. nec negare poteſt* Tillemontius *l. c.*

mus euehit integritatem, castitatem & sanctimoniam, quæ in ejus vita eluxit, additque *eum adfuisse hominibus patrocinantem aduersus dæmonum insidias.* Quo quidem luculento testimonio indefessum ejus in pietate atque oratione studium commendari, nemo est, quin animaduertat. Qualem se porro docendo meditandoque præstiterit, tribus potissimum argumentis apparet. Primo enim Antiochenos natura ad libidines & vanitatem procliviores indefesso labore ad frugem perduxit: deinde & Arianorum conatibus pro virili sua parte obstitit, eamque pestem ab ecclesia sua pene solus divino beneficio auertit: postremo & scriptis luculentissimis diuinam veritatem asseruit. Primum quantum sit, is demum intelliget, qui Antiochenorum mores ac indolem norit. Erat hæc ciuitas magna quidem ciuibusque affluens quam plurimis, sed luxu & deliciis ita eneruatis, vt totos dies in theatris desidere, studium iis unicum videretur. [n] Inter hos tamen tanquam lucerna splenduit *Philogonius*, breuique, quo ecclesiæ præfuit, tempore, tot animas Christo lucratus est, vt Chrysostomus, quicquid verorum christianorum sua ætate esset Antiochiæ, *Philogonii* ministerio deberi fateatur. Præclara sunt ejus verba, & digna quæ hic legantur: [o] *Videamus*, inquit, *quomodo munus hoc episcopi administrarit? quin potius non opus est hic pluribus verbis aut voce nostra, quum vester ardor, vestrumque studium hoc vltro declaret. Quemadmodum enim aliquis ingressus vineam, vitesque contemplatus pampinis comantes, fructuque gravidas, maceriis ac septis vndique munitas, haut quaquam desiderat orationem cuiusquam, qui demonstret vinitoris industriam: itidem & hic, si quis ingressus conspiciat vites spirituales, vestrumque fructum contempletur, nihil opus habuerit, vt ex cuiusquam oratione discat, qualis fuerit hic vester præpositus.* Quid dicamus porro de eius virtute, qua aduersus Arianos dimicauit? Prodierat tum *Arius*, quumque in Aegypto, Alexandri episcopi Alexandrini vigiliis interclusus, virus suum spargere non potuisset, in Asiam sese receperat. Ibi brevi interiecto tempore, ut erat versuto admodum ingenio, tot sectatores invenit, ut paucissimi reliqui essent sinceri episcopi, mi-

(n) *Vid.* Chrysostomi *Homil. ad populum Antiochen. passim, vt &* Iuliani *Imperat. Misopogonon.* (o) Chrysostom. *l. c. p.* 354.

miraretur que oriens, ſe tam ſubito factum eſſe Arianum. Inter hæc *Philogonius*, huic hydræ velut diuinitus oppoſitus cum pauciſſimis obſtitit, nec aliorum reveritus iudicia, qui iam tum, ceu hodie fieri ſolet, orthodoxiæ laudem in vitium trahere cœperant, docendo ſcribendoque tam ſtrenue rem egit, vt ei conſeruatæ catholicæ fidei laus vel maxime debeatur. Poteram hic multa colligere veterum teſtimonia, veluti *Athanaſii*, (p) qui eum orthodoxis accenſet, eiusque lucubrationes, quæ perierunt, miris laudibus ornat, nec non *Alexandri* Alexandrini, (q) qui epiſtola ad illum exarata, eandem ipſi gloriam tribuit, ipſius porro Chryſoſtomi, Nicephori aliorumque quam plurium: ſed malumus ipſum audire *Arium*, (r) qui in epiſtola quadam ad Euſebium Nicomedienſem epiſcopum, totum orientem ſecum ſentire gloriatur *exceptis duntaxat Philogonio*, *Hellanico & Macario*, in quos ideo omne virus ſuum evomit, viros tam ſanctos non veritus appellare ἀνθρώπους αἱρετικοὺς καὶ ἀκατηχήτους, *homines hæreticos nec in fidei elementis eruditos.* Quæ ſemper ſolennis fuit hæreticis in viros fidei antiquæ tenaces calumnia. Bone Deus, quid futurum fuiſſet de rebus noſtris, niſi hos triumviros, tanquam pueros illos in camino Babylonico ſervasſes? Denique nec tentationum expers fuiſſe putandus eſt Philogonius, quum ejus ætas in ea inciderit tempora, quibus in oriente capitale erat, eſſe chriſtianum. Sane illum multa pro Chriſti nomine paſſum, his verbis docet *Theodoritus*: (s) Φιλογόνιος τὸν ὑπὲρ τῆς εὐσεβείας ἐν τοῖς λικιννίου καιροῖς ἐπεδείξατο ζῆλον, *Philogonius pro veritatis defenſione ſingulare ſtudium Licinii temporibus declaravit.* Licinii tempora dum commemorat, magnam malorum Iliadem nobis revocat in memoriam. Eſt enim hic iſte Licinius, qui Conſtantini M. æmulatione in transverſum actus, odio plus quam Vatiniano in religionem noſtram flagrauit, tantumque ſanguinis chriſtiani per Orientem ad Lybiam vsque fudit, vt reliquis eccleſiæ perſequutoribus non niſi breuitate impe-

pe-

(p) Athanaſ. *Orat. I. adu. Arian. cap. 8. p.* 278. *Tom. I. op. edit. Pariſ.* (q) *ap.* Theodorit. *L. I. H. E. cap. 4. p.* 20. (r) *Seruarunt eam epiſtolam* Theodoritus *Lib. I. H. E. cap. 5. &* Epiphan. *Hæreſ. 69.* (s) Theodorit. *Lib. 1. H. E. cap. 3. p. 8.*

perii cederet. (t) Non benignius ergo eum cum Philogonio egisse, satis apparet ex verbis *Theodoriti.* Procul dubio ille multas confessionis palmas reportauit, multa ludibria, multas calamitates passus est, ac tantum non ipsam vitam pro Christo amisit. Sed aliter tamen visum est Deo rerum humanarum arbitro, qui virum meritis in ecclesiam clarum annisque gravem morte sua ex misera hac rerum humanarum caligine euocauit, & omnium inimicorum insidiis hoc ipso natali TVO subduxit.

Sed nescio quo me provehat *Philogonii* amor. Sane enim quum in TE, mi amicissime SCHVMANNE, non minus praeclaras Dei dotes, quam in *Philogonio* veneremur: compendio non leui, breuiorem reddere epistolam, atque instituta comparatione me oblectare poteram. Sed quum sit anceps comparationum omnium periculum, nec modestia tua ullas a me laudes requirat: mutabo consilium, & in TVO svavissimo nomine unice nunc requiescam. Salue igitur, mi frater, salue mea anima, & vt paucula quaedam de nobis ipsis dicam, patere. TE ego simul ac primum vidi, idem mihi contingere arbitrabar, quod sibi ac Octauio suo contigisse ait Minucius Felix, (u) *vnam* puta *mentem inter nos ambo fuisse diuisam.* Adeo enim me cepisti incredibili candore TVO, pietate, ceterisque, quibus ornatus es, virtutibus, nihil vt nomine TVO mihi esset iucundius. Hinc postquam arctior inter nos, non dicam amicitia, sed fraterna pietas coaluit: adeo TE non solum diligere, sed & amare coepi, ut in TE magnifaciendo concedam omnino nemini. Deum testor, quanta nuper fuerit trepidatio mea, quum TE difficili morbo implicitum coram spectarem. Verebar enim, ne vnico illo, quem maximi facio, amico mihi subtracto, vitae ipsius me poeniteret. Sed audiuit Deus vota, vidit lacrymas meas, TEque TIBI non magis ac TVIS, quam mihi restituit. Vivit SCHVMANNVS meus, viget benedicti-

---

(t) Basilius *in Oratione in XL. Martyres.* Eusebius *Libro II. vitae Constantini, cap.* 1. 2. *& Lib. X. H. E. cap.* 9. Sozomen. *Lib.* 1. *H. E. cap.* 2. (u) Minuc. Fel. *Octav. cap.* 1. p. 6.

ctione, viget familiæ suæ ornamentis, viget meritis, & nouum vitæ suæ annum hodie auspiciis felicissimis inchoat. Gratulor ergo non TIBI solum, sed & mihi, Deumque immortalem veneror, vt florente ecclesia TVA, florente domo, florente valetudine diem hunc redire jubeat sæpissime, TEque posteris etiam proponat grande felicis Pastoris, felicis Mariti, felicis Parentis, felicissimique amici exemplum. Vale. E museo XIII. Kalendas Januarias. cIↃ. IↃ cc. XII.

Typis CHRISTIANI HENCKELII.